

17. Χρήματα ergò sua distribuit qui beneficus.
Sed χρήματα dicemus cum Aristotele (o) πάντα ὅσων ἢ ἀξία νομισματι μετρεῖται.

(o) d. l. 4. Eth. Nicom. &c.

18. Non ergò pro nummo saltem signato accipienda pecunia, sed pro omni rerum supellectile, pro omni abundantia, quã aliis subvenire possumus, & opem ferre ut cum Philosophis (p) ipsi statuunt
ICti. (q)

(p) Thom. Freigium lib. 4. qq. Ethicar. c. 6. Gocl. in Diss. Ethic. Diss. 6. th 4. pag. 27. &c.

(q) Vide Gædd. ad l. 4 ff. de V. S. n. 9. & seqq. adde l. pecuniæ 178. ff. de V. S.

19. Hoc respectu liberalis dicetur, qui nudis vestem, qui famelicis cibum, qui ægrotantibus medicinam dederit quod ait Cælius. (r)

(r) lib. 4. qq. Moral. c. 1.

20. Nummus rerum, quæ impertiendæ & communicandæ, æstimationem imprimis meretur non φύσει, sed νόμῳ & ex hominum instituto, Arist. (s)

(s) d. lib. 4. Eth. c. 1. & 1. polit. c. 6.

21. Homines enim cum omnia commodè exportari quibus indigemus, aut exportari quibus abundamus non posse cernerent, nummum tanquam μέσον quoddam & medium invenerunt, aurum argentumque ex intimis terræ fibris eruentes, imagines certas ad certum valorem directas imprimentes.

22. Rectissimè: secus ac videtur velle Polydorus Virgilius. (t) Ἀδύνατον γὰρ τοσοῦτον διαφέρειντα σύμμετρα γένεσθαι. Arist. (u) sed de hisce aliàs.

(t) Lib. 2. de Invent. c. 20. (u) lib. 5. Eth. Nicom. c. 5. & ibid. Dn. Philipp. pag. 189.

23. Huic studere debent omnes qui sua inter veros homines, quos Diogenes candela accensa etiam in meridie anxius quærebat, profiteri volunt nomina, Memores tum humanæ conditionis, tum officii.

24. Humanæ